PIERII WINSEMII

ORATIO

IN EXCESSUM

Illuſtriſſimi, Fortiſſimique Heroïs,

HENRICI NASSOVII,

Friſiæ, Groningæ, Omlandiæ, & Drentiæ

PRÆFECTI,

HABITA

Ex Decreto Senatus in Templo Academico

III. Eid. Jan. Anno CIↃ. IↃ. CXLI.



FRANEKERÆ,

Impenſis Ulderici Balck, Illuſt. Friſ. Ord. eorundemque Acad. Typog. & Johannis Fabiani Deûring,

Anno 1641.

Illuſtriſſimo ac Generoſiſſ.

GULIELMO FREDERICO,

Naſſovię & cęt. Comiti,

FRISIÆ PRÆFECTO

P. WINSEMIUS

S. D.

Offero tibi, Illuſtriſſime Præfecte, Orationem Laudationi, ac memoriæ Optimi Fortiſſimique fratris Henrici Nassovii *dictam. Argumentum triſte & funeſtum, à quo tractando abſtinere Eloquentiæ meæ profeſſio maluiſſet, niſi fatalis divinæ providentiæ diſpoſitio mærenti provinciæ materiem æquiſſimi luctus, mihi perorandi dediſset. Equidem triumphos ac victorias, quas liminibus non ſemel publicis intulit, ſolutâ aut adſtrictâ Eloquentiâ laudare meo potius ex ingenio fuiſſet, quod, funebri ægrimoniæ jam antè immerſum, lætioris argumenti dulcedinem deſiderabat. Cæterum quoniam omnia, quæ ordinante Deo, quæ impellente fato fiunt, tanquam ſupremæ neceſſitati inligata, declinare noſtra impotentia non poteſt, ad omne divinitatis placitum projecta & jacens, ſatius & è re ſapientis animi*

ſuit, condolere potius præſenti triſtitiæ, quam inanis querelæ moleſtiam providentiæ intendere, quæ obmurmurantibus præfracta, &, ſi incuſes, contumax, ad vanum & futile illud mortalitatis certamen non inhorreſcit. Quanquam hoc uno impotentiam feroci arbitrii probet, quod principia vitæ deſtruendo, immortale, & æternum noſtri non diſſolvat, & quod gloriæ ſuperſtitis tutelam, etiam ab exceſſu, vivaci pennæ, & ſuſtinenti nominis memoriam eloquentiæ permittat. Utinam fratri tuo, quem terris ſubductum, æternitas tenet, hoc meæ pietatis officio, & ſimul lætiſſimæ ſucceſſioni tuæ ſatisfactum ſit, quæ deficiente ad fatalem ictum remedio, lenimentum aliquod, & ſolatium noſtræ ægritudini repoſuit. Quæ ipſa quoque, quoniam fratrem tuum nec ſperare, nec repoſcere mortali ingenio fas eſt, facilius ſanabitur, ſi, quod optumo Principi olim acclamatum, Diu Et Fæliciter Reip. Nostræ Præsis, quæ patris fratriſque memoriam in te ſuperſtite cultura, fælicis voti religionem ſtratis ad divina pulvinaribus commendabit. Vale Illuſtriſſ. Præfecte ex Acad. noſtrâ. Idib. Mart.
Anno cIↃ. IↃ. CXLI.

P. WIN-

P. WINSEMII
ORATIO FUNEBRIS.

QUanquam totum genus humanum, qua cœlo ſubjacet, intraque caſtigata littoribus maria terram colit, æquali moriendi ſorte latentium cauſarum nexus, aut moroſa fati lex obligaverit, tamen neſcio, quâ iniquitate cuncta verſantis trahentiſque providentię fieri ſolet, ut quicquid in terris eximium atque magnificum opinio, rituſque gentium fecit, minus durabile ac perpetuum habeatur. Sive ea compenſatio fælicis indulgentiæ eſt, ut cæleſtis injuriæ vicem ſubire ex priore fati beneficio cogatur, ſive magnarum his in terris rerum ea natura eſt, ut ad æternitatem properent, certè non malè dixiſſe mihi videtur, qui Principes in invidiam mortales, reſp. ęternas pronuntiavit. Quæ etſi ſuos quoque cir-

cuitus habeant, cùm à naturali rerum converſione, quæ aſtrorum cœlique velocitate regitur, tùm à deſtruente internâ vi, quę nationum populorumque fata maturat, tamen in hac ſocietate, & convictu gentium, velut in apum rep., minus in multitudinem, plus in incolumitatem, ac exitium regnantis reſpicitur. Qui ipſe cùm omnia quoque prętet, quę in magno naturæ opere celſiſsima divinitas, aut in interſtincto aſtris ſpatio rector, atque moderator aſtrorum Sol agit, tantò apertiore deliquio, aut fulgore intuentium oculos ferit, quantò excelſius in editiſsimo rerum ſpectaculo majeſtate ſuâ, ad imitationem diurni ſideris, repræſentatur. Tunc poſt maximi clariſsimique luminis, quod cuncta illuſtrat, ſplendorem amiſſum, ipſumq; Solem labore feſſum, pallor, & nebula, nox & caligo terrarum orbem ſuffundit, velut in communi rerum luctâ & perturbatione, quæ tenebroſo velamine recondi pulcherrimum opus exigebat. Ita cùm poteſtas, quę, nec falsò, imperio gentium deſtinata creditur, humana patitur, terriſque, quas rexit, excedit, cum naturâ rerum, ac fato expoſtulamus, non quòd mortale, & naſcendi conditione periturum deſtruxerit, ſed quòd nocituram populo orbitatem mærenti, ſqallentique reip., tanquam com-

muni

muni civium domui, intulerit. Inde flamma, qui mos Orienti, imperii cuſtos altaribus fociſque innutrita, velut in domeſtico funere, exſtincta, ad pręgravandam infęlicis turbæ calamitatem, & ferociſsimæ mortis injuriam, quę geniale, atque ſacrum omne temeraſſe prodigioſâ importunitate credebatur. Illa non ſceptrum aut diadema, non faſciam, aut ebur, non radiantem auro gemmiſque purpuram, non aulæa Tyrio, aut Ægyptio velamine conſtrata, non ceras, & imagines per vaſtiſsima atria extantes, non odores, aut unguenta, non verbenas, & ſuffitus reformidat, &, quod in palatia, quæ nemora reſplendentium tectorum, aut conquiſita ſæpè luxuries abſcondit, obeundis miniſteriis, aut explendis voluptatibus umbraticæ fęlicitatis opinio induxit. Etiam per ſpiculatorum, ſtipatorumque millia auguſtum, & ſimul lubricum limen obſidentia, per æs, & ferrum metuendi exercitus vadit, nullique ſuccumbens univerſos mortalium exitus oblivione apud poſteros, atque gloriâ diſtinguit. Quos etſi cęca mortalium mens, & finis ſui, qui omni animantium generi ſtatus eſt, incerta, à cælo, atque aſtris petat, errori imprimis ſuo, & inſcitię indulget, quòd vitę mortiſque cauſas extra ſe veſtigando intra capacitatem molis

ſuę habeat. Quę ut naturæ amicitiâ ſervatur ac floret, ita diſcordiâ ac lite, ut in ſapientis oraculo eſt, perit ac ſolvitur, publico & in oculos incurrente documento, orta interire, omniumque, quæ cępere, rerum finem immutabilem providentiam diſpunxiſſe. Licet aſtrum, quod naſcentium Geniis peculiare ſuperſtitio & vanitas mortalis ingenii fecit, aſcendat, aut inclinet, licet aſpectibus bonis lævíſque firmetur, aut deficiat, licet dominetur, aut ſerviat, equidem verum eſt, ipſi cęlo & aſtris, etſi perennia videantur, ſuas quoque defectiones indicia infirmitatis ſubeſſe. Ego de natura rerum cuncta mutante, aut deſtruente, de vertigine cęleſtium motuum, de labentium inclinantiumque annorum jure, ac invidioſæ vetuſtatis imperio non querar, quod omnia condita, & perire nata principiis immergat, cęterum atrocitatem fati, & durioris providentię hac in parte incuſabo, quod excellentiſsima quęque generis humani ornamenta, & ſimul pręſidia invadat. Qui exemplum inofficioſę fatorum legis, & humanę fragilitatis deſiderant, intueantur cadaver ILLUSTRISS. FORTISSIMIQUE HEROIS HENRICI NASSOVII provincię Præfecti, qui acerbiſsimo caſu in ipſo juventæ, & vigentis ævi flore, terris ereptus, atro & non ſignando annalibus die,

ſepulchro

ſepulchro majorum, cum magnâ parte proſperitatis ac fortunæ noſtrę inlatus eſt. Quam etſi exiguam fecerit virtutis priſcę faſtidium, an dicam odium, & à noſtris rebus, quę olim optumis moribus crevêre, divinitas averſa, ita & hoc infælicitatis confluentibus quotidie malis, atque adverſis accedere debuit, ut tam illuſtrem victimam infauſtis expeditionibus præpararemus. Quæ ſive tabeſcere virtutem roburque fortiſsimæ gentis oſtendunt, quod tot regum gentiumque, ne dicam terrarum orbis ingruentem impetum, rudi adhuc & intactâ vitiis libertate, ſuſtinuit, ſive hebeſcere cęleſte auxilium enuntiant, certè ſi ex vero, quę evenêre, ęſtumentur, non minus horreſcere ad recentia reip. & libertatis vulnera noſtræ mentes poſſunt, quàm olim ad miracula fluentium ex voto rerum ſtupuêre. Cùm ipſa terra, quæ tenenda fortibus erat, cùm ipſum mare, quod partem ditionum, aut ambit, aut interluit, cùm ipſa flumina, velut patriis ſacris devota, denique ipſum cœlum & ſidera conſulentibus elicientibuſque divina profuêre, potuitque aliunde, quàm ab armatis legionibus, à magnitudine claſsium exſpectari, quod infirmitati noſtrę, vixdum reſpiranti, ſubveniret. Inde, tanquam annis vertentibus, novę lauri

enatæ Ducum tempora præcingebant, & præter hoſtium ſpolia & clades receptaſque in deditionem urbes, mare ipſum, qua commercia gentium agnoſcit, inſtar modici amnis, noſtris navigiis ſubactum. Adeo quidem, ut indiviſa bona virtus, ac fælicitas noſtra juxta ſe per omnem terrarum orbis angulum, atque ſinum ambularent, cumque ipſis conſularibus faſtis, maxumique ſideris ordinario per Zodiacum circuitu fælices triumphi renaſcerentur. Inde per templa, & curias, velut apertis in annos lætorum liminibus, grates numini dictę, quòd juxta Ducum militumque robur incrementa laudabili imperio dabat, quę domi quoque optumis patrum conſiliis ſedendo firmabantur. Itaque nec dies tantùm, quas agendis mortalium rebus alternæ temporum vices deſtinarunt, ſed noctium quoque otia, & quietes tranſigebantur, quarum deſideriis, etſi natura imperaret, incumbentia rerum pondera, & procumbens libertas medebantur. Cùm omne gentium, quicquid aut Pyrenæus vertex, aut Alpium juga, aut aliud mare noſtris à finibus disjunxerat, præcipiti furore, ſicut olim barbarę nationes, noſtram in planitiem ex editiſsimis montium effuſum, quaſi quodam terrę motu obruturum depreſſa, quæ ingenio ſuo humentia humano

inſuper

inſuper ſanguine inundabantur. In illis anguſtiis, & dum inſertas ſideribus manus, tanquam jugulum Libertatis percuſſuras, è longinquo venientes opperimur, non torpore, non ſomno, non luxu, & mollitie fractis bene agendo, bene conſulendo res proſperè ceſſêre. Poſtquam peregrinâ levitate, velut tranſmarinâ peſte, aſperos, & adulationibus intactos mores, etiam Principum imperiis, cùm intenderentur, formidatos, adulteravimus omnia adverſa deſciſcentibus in aliena obvenêre. Tunc ſacer ambitus, etſi malum Romanis nominibus involutum, genti optumæ infrequens, & vadoſo, quod naufragiis famoſum eſt, ut Poëta canit, mari funeſtius, per ipſa vitalia reip. ſparſus divina juxta ac humana commiſcuit, ita fęcundâ creſcentis mali luxuriâ, ut in ipſo ortu, quod naturæ portentum eſt, incrementa, & quidem juſta perdendis virtutibus aperuerit. Ita quicquid patrum canities, & decreta venerabili horrore ſubnixa primâ libertatis noſtræ infantiâ profecerant, omnis honeſti, rectique populator, & prædo ambitus deſtruxit, tanto comitatu malarum artium in remp. ſe ingerens, ut adverſas ſignis noſtris aves, adverſa reip. fata induxerit. Licet legionibus ſupplementa paraverit, licet novos delectus, & conquiſitum per viciniam militem

potentiſſimo exercitui adjecerit, licet flumina claſſibus texerit, licet virium fiduciâ, quarum modum ignorabat, humano voto majora, & plus quam arcana fatorum ignoranti ſperare fas erat, præconceperit, fuit tamen, quod incertas ex ſe mortalium ſpes retardaret, probaretque unius horæ momento ſæpè confundi ex intervallis temporum deſtinata. Scilicet occulta illa vis, quę ut terrarum imperia, ita bellorum fortunam moderatur ac regit, quę neglecta aut non pręviſa rerum momenta humanis conſiliis objicit, ſępè effecit, ut magnos conatus levis adverſitas ſubverteret, parvaque impedimenta validiſſimos exercitus, & ferventes caſtrorum operas hebetarent. Modo venti plus ęquo ſtrati & jacentes ferendis claſſibus invalidi, modo cęlum ſpiſſâ nube, attollentibus maria ſideribus, tempeſtate, aut procellâ inhorreſcit, modo cæleſtia ſigna imbribus fæda, celerandis itineribus moleſta, velut indignante ſupremâ illâ mundi parte, quæ ſerenitatem æſtivis blanditiis dare ſolet, annum vicibus ſuis obeundis in gratiam bellantium vacare. Ibi flumina vorticoſis alveis rapta, &, ignorante etiam lunaria imperia ęſtu, ultra ripas ſurgentia, reſorbentiaque voraginem cæcorum fluctuum, qui expedita navigia vix tranſmittunt. Inter

iſta

iſta incommoda, & ipſas nonnunquam legiones vitio cęli, aut moræ infectas, ſollicitudinem ſæpè publicam præmiſſa ſecuritas induit, adeo ut planè credendum ſit, univerſos armorum bellique ſucceſſus, (quod in humanâ vitâ, & omni actione fieri ſolet) fine, & eventu ęſtumandos. Igitur expectandum tempus ſecundis, juxta adverſiſque decretum, omniſque dieï portio, quâ cœlo ducitur, ſuſpicienda ex periculo eſt, quod ut intra vallum, & portam, ita intra militum tentoria, & tabernacula Ducum ſit. Dum cæleſte lumen mari ſurgit, & acclivi velocitate raptum formidatum ardoribus Meridiem veſtigat, inter dubia, & incerta caſtrenſe otium fluit, quod declinare obvium diſcrimen ne beneficio quidem occidentis aſtri, aut incidentis umbræ poteſt. Et ita quidem, ut non ipſis noctibus, (etſi commune velum terris, & toti mundo obducant, ſilentiaque, & quietes omni mortalium operi, & laſſitudini corporum largiantur) inter ingruentia tenebrarum ambigua, & reconditum cælo lumen ſecuritatem ſuam providentia indulſerit, quę omnia naturæ opera in occaſionem nocendi vertere ſolers, nec buccinę cantum, nec vigiliarum leges reformidat. Poſt primam alteramque ſtationem, dum aut denſa nox caſtris

incumbit, aut dum tertiâ quartâque vigiliâ ſuccedens labor primâ luce diem repromittit, ipſa militum tentoria, ipſa prætoria Ducum pervadit; Quorum cura licet opportunum metandis caſtris locum delegerit, licet foſſam prǫduxerit, licet facto aggere vallum erexerit, licet portas multiplicaverit, licet principali viâ, ac ſtatione muniverit, non evadet impendentis mali neceſsitatem, quæ omnia mortalium opera convellere inſolens, nec imperio ſuo modum ponere, nec ullius infirmitati parcere vult, aut poteſt. Intra ipſum Auguſtale, & dum Ædi, aut templo intereſt, dum ſacra reveretur, aut facit, ſupremæ legis ſeveritas intervenit, quæ ne quieſcentibus quidem æqua, optumum etiam quemque, ac fortiſsimum errore noctis confundit. Tum cùm nec triarium à ferentario, nec hoſtem à commilitone, nec gregarium à Duce cœli obſcuritas diſtinguit, quæ ſidera ſæpè abſcondens damna nonnunquam tabeſcentis Lunǫ experitur. Ego triſtiſsimum hunc caſum, quo funeſtiorem omnis adverſarum rerum conjuratio dare vix poterat, ad illune noctis ſpatium, ad diſpendia luminum, ad hebeſcentia ſidera non refero, cœterùm mihi perſuaſum creditumque eſt, ut omnium Principum è terris exceſſus, ita

ILLU-

Illustrissimi quoque Præfecti mortem à fatali diſpoſitione, & decreto providentiæ eveniſſe. Præſertim cùm divinæ curę, quas regundis mortalium rebus averſatio cęcarum ſortium, & conſtantis decreti ęternitas innexuit, eorum inprimis fata moderentur, ac regant, qui imperii gloriam his in terris accepêre, & qui juſtos exercitus ductitando, gentium ſecuritatem ac fortunam, militari civilique prudentiâ, ſub imperatoriis nominibus, etiam ante ętatem, firmavêre. Quod ipſum clariſsimis Ducum Virtutis Ergo, ut eſt in veteri formulâ, indultum, ne nunc quidem ceſſante, & effœtâ ſeculorum fælicitate, quę per naturę, aut ſiderum indulgentiam eadem ingenia cœlo demiſſa accipiunt. Et quidem in Principum Heroumque, quos Deorum progeniem antiqui cenſebant, quam maxumè filiis, qui, dum reliqua hominum lentè elaborantur, cum ipſis corporum molibus, atque incrementis, cum ipsâ ætatis adoleſcentiâ matureſcunt. Ita dum reliquorum virtutem, aut infantiæ humor, aut pueritię mollities, blandimentis inertię ſe paſcens, obtundit, Principum animos, velut arduis natos, & humano generi imperaturos alieni ſollicitudo ac cura impellit, ne igneum illud & cœleſte vili i-

gnaviâ torpeſcat, & ne vitia pro virtutibus deligendo particulam illam exerentis ſe divini voluptatum turpitudo præoccupet. Quæ alias molliter, &, qualis Principum conditio eſt, indulgenter educatis ſponte blandiens, & aulæ, quę alit, vitiis fota ad illas artes aſſurgere non ſolet, quæ aliquando ſolutâ pubertate principes filios ſenilibus curis intruſêre. Cùm reſp. quæ ipſo ſæpè juventæ lubrico, & imbecillibus adhuc annis capeſcenda, popularibus malis, quę vera libertas caſtigat, licentia nutrit, remedia ſollicitat; cavendumque eſt recturo multitudinem, ne vim imperii prima ſeveritas intendat, nec laxitate ſolvatur ſuppletura ętatem autoritas, quâ domi, & in pace populares animi, foris, & in bello caſtrenſia ingenia reguntur. Quam etſi conciliet quęſitus arte ac ingenio favor, tamen neſcio, quid majeſtatis omni imperio cohæreat, quod divinitus datum primis quoque rerum rudimentis gratiam aſpirat. Pręſertim ſi principale ingenium naturæ fęlicitate, quæ dominantium propria eſt, & fideli eorum inſtitutione adjuvetur, qui olim Perſidis, & Gręcię reges uſque ad miraculum erudivêre. Qui ipſi quoque poſt approbatas regno artes, & prudentem ſapientiam divinis humaniſque rebus commodatam,

tam, in ultimos quoque terrarum fines, & terminos inclytum laudibus victoriiſque nomen provexêre, tantâ etiam intercapedine locorum ac vaſtitate ſuperatâ, ut Liberi patris triumphale veſtigium exceſſerit. Non per otia, aut deſidiem, reliquaque infælicium animorum alimenta, ſed pacis ac belli ſcientiam, quæ in dominâ quoq; terrarum gente utrumq; Solem per latiſsima maximaq; cæli ſpatia currentem ditionis ſuæ circulo, & imperii incluſerat. Sine qua arte nec regna, nec reſp. ſocietates, & conſortia hominum, nedum ſalva & incolumis illarum gentium libertas eſſe queat, quæ impatientiâ ſervitii animos ſuos, atque magnitudinem ſupra regum vertices, & coronata capita extulere. Atque hæc prima regum principumque virorum cura eſſe ſolet, ut iiſdem artibus moribuſque, quibus excelluêre, etiam tenerrimis annis, liberos ſuos innutriant; quo infirma alias ætas, in eminente rerum faſtigio collocanda, cum ipſo alimento, ac ſanguine hauriat, quod virilis maturitas in divino illo, & excelſo regendi officio deſideret. Inter nobile equorum regimen, & equeſtria exercitia bellicoſos ſpiritus, & erectam ad magna indolem prodentia, inter canum curam, & venandi ſtudium, inter artes ludoſque aulæ

familiares, quę voluptatem uſumque corpori conciliant, ipſa quoque liberalium diſciplinarum fundamenta jacienda, non ad inane principalis vitę ornamentum, ſed ad profuturam imperio utilitatem, quod laudabili inſtrumento carens, minus prudentiâ, magis fortunæ vi, ac temeritate regitur. Quæ cùm ſingulas mortalium res mutat inſtabilis, & fluxa, cùm univerſa, quę tractamus homines, miſcet & confundit, inclemens & irata, cum magna & in edito conſtituta terrarum imperia alto, in quo ſtetêre, faſtigio, & ſimul pręcipitio deturbat, inſana & furens, ſolâ exemplorum ubertate cognoſcitur, quibus, (ut de aliis gentibus nationibuſque non dicam) ſummam, ac portentoſam pop. Rom. magnitudinem, & antè matrem artium Gręciam deſtruxerat. Quarum utraque cùm omnia fælicitatis humanæ, & antiqui floris decora amiſiſſet, veteris tamen linguę, ac eloquentiæ gloriam retinuit, quę principes viros in admirationem imitationemque ſui raperet, illoque ferocientis fati ſolatio, cùm ſua extincta, aut adulterata non poſſet, aliorum imperia erudiret. Ut de iſtis linguis taceam, quibus per Gallias, & Hiſpaniam, denique ipſam ingeniorum artiumque altricem Italiam confuſio gentium originem,

nem, aut impuritatem dedit, equidem verum eſt, Remp. hanc (quam remotiſſimi vaſtiſſimique terrarum orbis receſſus non ignorant) ut rerum, ita linguarum commercio florere, principeſque clariſſimæ libertatis (quę utrumque Solem ſalutat) cuſtodes, excelſo & principali officio ritè perfungi poſſe, ſi Græcorum & Romanæ eloquentiæ peregrinę vocis cognitionem ac laudem adjecerint. Quod cùm ſciret ὁ μακαρίτης, ita Gallici imprimis, Italicique ſermonis puritatem affectavit, ut doctis auribus loqueretur, crederetur que cum ipſo patrię vocis uſu, non Galliæ tantum & Italię, ſed ipſius quoque Hiſpaniæ delitias perdidiciſſe. Et ita quidem, ut non tranſmontanæ, tranſmarinæq; peregrinationis, aut ſolertię egeret, neque veſtigandum per moleſtiam, & pericula illud iter eſſet, quod per Alpes & Appeninum, per cana nivibus Pyrenęorum juga tranſducit. Ita dum inermes Muſas colit, dum gentium mores legendo peregrina cognoſcit, dum illarum luxuriem in exornando ſermone æmulatur, neque belli quoque artes negligebat, quas, ſicut amęniora ſtudia, Gulielmo cum Fratre dulciſsimo vitę conſorte, non diſpari affectu, & eodem ardore, modò domi literario in otio, modò foris, & in comitatu fortiſsimi Patris, modò in

caſtris ſub Magno Principe ſectabatur. Vt ita caſtrorum circumvallationem ac ſitum, opera atque munitionem, artes ac diſciplinam, facta atque exercitia contemplando militum Ducumque officia notaret, Romano atque illuſtri exemplo, quorum juventus, præſtantiſsimos quoſque imitata, prima ſtipendia, etiam ſępè à caligâ, imperatoriis titulis atque nominibus intruſerat. Cum ſaga & lacernę diſtinctis auro purpuraque paludamentis mutatę, & imperare per virtutem exercitui juberetur, quiſquis ritè paruiſſet. Atque his auſpiciis ὁ μακαρίτης arduum, ac difficile regendi onus primâ juventâ complexus, FRISIAM, liberam olim atque ſociam Romani Imperii provinciam, poſt urgentibus res Philippis, fæderi Belgico, ſalvâ libertate, innexam, moderandam ſuſcepit, quæ morte ERNESTI patris, (quem in magno rerum apparatu ad Ruremundam, Geldrię oppidum juxtà confluentes Moſę ac Roræ ſitum, glande plumbeâ hoſtilis vis abſtulerat) luctuoſa & ſquallens acerbiſsimi vulneris refectionem in ſucceſsione filii acceperat. Vt ſcilicet ſublato patre, velut in æterna, & fabulatâ vatibus alite, digna paterno imperio proles reſuſcitaretur, & quæ in ultionem paternæ cędis, adauctis per ætatem annis, adoleſceret.

Iſtâ ſcilicet lege clariſsimos majores, ferales victimas, morienti libertati ſub initia bellorum civilium immolatas, iſtâ conditione patrem optumum fortiſsimumque in ericetis Geldriæ fato functum ac cælo receptum, iſti ſacramento, velut obteſtantibus fidem ſacris, ſe innexum, ut vindicias propinquo paternoque ſanguini ferat, ultoremque anteceſſorum agat, quiſquis ſucceſsiſſet. Hæc ſcilicet odia cum ipsâ animâ, cum ipſis vitæ principiis infundi, ne inultos à poſteris manes habeat, quiſquis occubuiſſet. Neque enim aliâ viâ ad gloriam, ad immortalitatem præclaros Duces tetendiſſe, quam hac ipsâ, quod illorum vitam & fortunam ut in edito, ita ſimul lubrico divinitas poſuiſſet. Quos neque vitæ diu trahendæ infælix deſiderium, nec formido mortis conturbet, quæ ex mortalibus æternos utplurimum Principes feciſſet. Ego certè cùm magnam illam, & excelſam indolem, quę in ipſo vultu elucebat, & quam periti cęleſtium, etſi ſuperſtitione quadam, ut creditur, à generoſiore & diſpenſante dignitates aſtro petivêre, cùm infractum terrore, ac metu animum recordor, non aliis curis, non aliâ ſollicitudine occupatum fuiſſe mihi perſuaſum habeo, quàm ut majorum veſtigia premeret, aut anteiret, laudatæque maximorum Ducum claritudini regiam, auguſtamque ſtirpem innecteret. Non titulorum tantum jure aut imaginum, quas ſuſpicere aliorum ignobilitas ſolet, aut quas infęlix

ſuperbia alienis virtutibus innixa per atriorum pegmata relucentibus liminibus diſponit, ſed illarum artium gloriâ, quæ optumos principes faciunt, & cum, integrâ adhuc generis humani æqualitate, nulli eſſent, primos mortalium cætui dedêre. Atque hæ ſunt vera manſuri, & ſtabilis imperii inſtrumenta, non ut aſſentator, etiam ſuſpecta ex magnitudine adoraturus, nitentem ebore, ac citro menſam circumſtet, aut ſpiculatore limen oppleatur ſæpè innocentibus, optimiſque periculoſum, ſed ut virtute ſuâ emineat, qui alienam obſcuraturus eſt, &, quem divina miniſteria, ſub ſpecie humanorum operum, regundæ multitudini deſtinavêre. Cùm injurię, quas diſcordibus terris diviſa gentium temperies, tanquam naturæ lites, injecit, per arma aut leges propulſandę, quas inflecti, aut ęxorbitare non ſinat imperioſæ quietis moderatio. Quæ aureę mediocritatis, quâ naturę & mortalium res librantur, tutiſſimum firmamentum, ut omni imperio ætatem adfert, ita novum quoque, ac recens emunit, facitque, ut cum conditione ſuâ ſtare ex neceſſitate providentię non poſſit, voto parentium juvetur. Quod cùm tam ſecundis, quàm adverſis rebus intercedat, ut illæ perdurent, has depulſis malis clementia fati, ut tempe-

tempeſtatem ſerenitas, excipiat, ita ſtabile rerum munimentum fides civium eſt, quę pro ingenio gentis diverſa, virtute potiſſimum eminentis roboratur. Quæ cum cęlo deſcendat, omnibus, quas univerſi ambitus tenet, rebus infuſa, ita potiſſimùm in illas influit, quas rationis capaces indulgentia opificis in principe animantium homine conſtituit. In cujus mortali circumferentiâ cùm animus ex ſe ſacer, ac divinus habitet, dux atque imperator vitę, & omnium operum arbiter, tamen cultus aliquis illi adhibendus eſt, ne cœleſti origine editus, quę æterna, & ſerena ab impuris ſecrevit, inferiori mundo, & tempeſtatibus obnoxio ſuccumbat. Qui ipſe quoque cum continuâ perturbatione jactetur, & fluctuet, cum concertantium inter ſe rerum lite inhorreſcat, fit, ut corpori quoque, quod principia ſua in imo poſita, & à cęleſtium pace ſemota redolet, & imitatur, ſua inquietudo ſit, quod velut in diſcordi regno, pernicioſi, & obruendis virtutibus nati, affectuum impetus circumfundunt. Cùm ira, ſi temporis brevitatem expendas, furori proxima, cùm livor & obtrectatio alieni boni invidiâ nigreſcens, peſſimum bonę mentis venenum, illam divini partem offuſcat, quę rectores gentium gratiâ ac odio, fa-

mâ ac ſilentio, gloriâ ac probro ſingulis temporum ætatibus diſtinxit. Quod cùm non ignoraret ὁ μακαρίτης, inter ipſas recentis Præfecturę curas, & imperii molem primis annis gravem ac moleſtam, per exempla monitaque omnis ævi gradiebatur, ut diſceret terrarum imperia non tam ſolâ fati deſtructione, quàm pravitate, ſeu potius errore mortalium ingeniorum interire. Quæ cùm, hominum more, ex poſſeſſione, & uſu longioris potentiæ inſoleſcant, ita ægrè modum imperio ſtatuunt, qui ritè ſervatus, rebus, etiam ſuâ infirmitate corruentibus, æternitatem largitur. Cùm alias diuturnitatis cuſtode deſtitutæ ſubito pereant, & cum quadam convulſurâ velocitate raptæ, finem inveniant, antequam juſtum attigêre. Adeo ut falſo de Fato, ac providentia queri humanum genus mihi videatur, quod moroſum & triſte, ac, ſi ad divina reſpicias, refractarium & contumax, etiam auream ætatem, & fabulata vatibus ſæcula degens, ſuo vitio, aut alieno imperio, aut ſuæ ſervituti ingemiſcit. Ibi poteſtatem ſupra leges evectam, alibi populum, libertate ferocem, licentię fręnos laxantem, & in uno menſuram obſequii, in alterâ dominationis deſiderari. Quanquam, ſicut in imâ mundi parte, ſuis quoque tempeſtatibus, & regentium fortu-

na, &

na, & reip. quies ſubjaceat, quæ primis Præfecturę annis ſuam inquietudinem experta, iiſdem adoleſcentibus,& jam obfirmatis in τȣ̃ μακαρίτȣ imperio, tanquam ſalutari ſidere, conquievit. Poſtquam illa partam in bello, & ex virtute gloriam, domi, & in patrum conſeſſibus, pręter annorum legem, ſtupendam, & inſignem prudentiam, ac judicii maturitatem deprehendit, quæ, ex antiquitate, & illuſtrium ſcriptorum monumentis petita, juvenile inſuper ingenium laudabili eloquentiâ implebat. Itaque inter eos ſcriptores, qui res pop. Romani, tanquam in omni gentium celebritate eminentis, victuro opere complexi ſunt, C. Tacitum imprimis legebat, cum ob elegantiam, & majeſtatem cultiſſimi ſermonis, tum quòd oſtenderet, quibus artibus, & ſæpè flagitiis, abolitâ per unius dominationem Romanâ libertate, adorata gentibus majeſtas inniteretur. Poſtquam proſcripto feralibus tabulis, aut Senatus patritioque ſanguine bellis civilibus exhauſto, (qui florente re Romanâ defenſor libertatis extiterat) inter fędas adulationes, & ſervitia, tarda, aut invalida legum auxilia fuêre, quas horrore, ac metu fractas potentia validiorum, mox unius, & ſæpe impuriſſimi capitis dominatio amoverat. Tunc cum libertatem

pro quâ Reges & Decemviros ejecerat, pro quâ bella cum tot gentibus & univerſo terrarum orbe geſſerat, pro quâ optumarum ſanctiſſimarumque legum rogationes ſuſceperat, luxurioſa & effrenis civitas ferre non potuit, quam, ut mos rerum mortalium, nimia fælicitas & indulgentia fortunæ corruperat. Et hoc erat Orientem & Occaſum, Septentrionem & Meridiem armis triumphiſque luſtrare, hoc Tigrim & Euphratem, Nigrin & Nilum detectis fontibus adire, hoc ultima, & Solem receptura Oceani littora veſtigare, hoc Danubium & Rhenum, & inculta Scytharum deſerta petere, ut incluſas, tanquam feras, latebris ac deſertis ſuis gentes Romana libertas ac fælicitas exciret, foriſque ſuperba, & triumphans intrà pomęria ac muros nutu ac arbitrio peſſimi dominantis regeretur. Quorum noſcendorum deſiderio cum flagaret ὁ μακαρίτης, artes moreſque aulę proprios in graviſſimo autore, &, ut Poëta canit, nulli ori tacendo evolvebat, cujus ingenium, in arctum redactum, fęda & ignobilis materies, velut compendio infælicis circuli, incluſerat. Igitur inter principum ſenum ſævas ſecretaſque libidines, inter Sejanos ludibria fortunæ debentes, inter generis humani propudia orbem, qua patet, digito temperantia,
inter

inter triſte, neque durabile imperium cæde, & cruore Principum, velut cadentium victimarum, emptum, non dierum tantum, ſed & noctium labores trahebantur, ut videret, quam in lubrico recturam magna poteſtatem diſpenſator Deus poſuiſſet, & quantum intereſſet, bonos prę malis Principes generi humano, & ſummis terrarum imperiis pręſidere. Scilicet ut ipſe fato in partem imperii vocatus, illorum Principum facta, atque ſtudia exprimeret, qui totam ęvi ſui, ac vitæ imaginem ad imitandum optumorum decus, atque gloriam formaverant. Hanc ſollicitudinem, non quæ ex ęgritudine mentium, ſed honeſtâ alienę virtutis æmulatione procedit, in ſecreto ſuo, in cænaculo, in ambulacro, ac porticu (quę prima demiſſam cęlo ſapientiam in formam artis redegit) in equo & curru, in viâ ac navigio, ſive quocunque loci diviſa illum cura poſuiſſet, prę ſe ferebat, non inani & ventoſâ opinione erudiendum, quamdiu vitę miniſteriis fungeretur, animum eſſe, qui ſolus quietis faſtidio, ſicut cæleſtia ſolent, ſempiternos motus affectans Principum præcordia, & ſublimium pectorum abſtruſum ignem ſuſcitaret. Mihi creditum eſt, inter ipſa quoque exercitia, quæ firmandis artubus, & roborando corpori fiunt,

quę fuliginem, & quicquid putre in humanæ molis capacitate otium, ac quies facit, diſcutiunt, ne memoriam quidem eorum exuiſſe, quæ in veterum gymnaſticâ, aut militiâ commendabantur. Quæ in gymnaſio ac palæſtrâ, thermis ac porticu, ſtadio ac Circo, Græcia, & poſt Latium exercendis corporibus invenerat, & quę parandæ agilitati, membrorumque flexuris per frequentia miniſteria oleum aut diapaſma, haphe atque ceroma emolliebat. Cum pilâ, aut diſco, ſaltatione, aut luctâ, pancratio, aut ceſto, curſu aut ſaltu, equo, aut curru certaretur, curandæ corporum firmitati, & ut laboris gloriæque præmio victorum ſtudia coronarentur. Inter iſta oblectamenta, quæ humani ingenii fæcunditas, an dicam luxuria priſcis ſęculis repererat, inter iſta frequentium ludorum ſpectacula, & maculati pulveris certamen facientibus lętum, aut triſte, inter vulnera, & coronas vincentibus fęlices, dum animus τοῦ μακαρίτου diſcurrebat, ardore quoque militię accendebatur, quę antiquis, quemadmodum in Gymnaſio, & manuum dexteritate, & aſpera ſubeundo, labore, ęſtu, frigore, vigiliâ tolerabatur. Cujus gloriâ, etſi plurimę gentes, quas Oriens Occidenſque, quas mollis Auſter, aut horrens rigoribus Septentrio videt, jam

jam ante claruiſſent, tamen Romanum nomen regundis, ut poëta canit, terris fatale ita extulit, ut omnes terrarum orbis nationes obſcuraverit. Quę non Germanorum proceritate, quorum corpora, ad inſtar montium, debellaturo orbem populo natura rerum objecerat, non multitudine Gallorum, non Hiſpaniæ viribus, non Afrorum dolis opibuſque, non Gręciæ artibus victa ac triumphata, hoc grande fati beneficium obtinuit, ut, quæ bona ſingulis populis providentiæ benignitas conceſſerat, una civitas poſſideret. Quæ bonis legibus domeſticâ ex pace florens, ita maxumos exercitus, tanquam generis humani colonias, muris ac pomęrio eduxit, ut, non famâ tantùm nominis, & victoriarum laude, ſed ipſo quoque ſanguine, & cive Romano, expugnata mænia compleret. Non inſultu tantùm, & armatâ virtute, quę difficillima quoque vincit, aut ſuperat, ſed repertis ſuorum ingenio inſtrumentis, quibus naturæ ſitu, aut opere validiſſima victori terrarum populo cedebant. Cùm teſtudines, arietes, falces, vineę, muſculi, turres, Romana inventa, aut nomina, expugnationibus aut obſidiis urbium, in uſum perducta, non minore principis gentium ſolertiâ & curâ, cùm aut acies ex ſua, & Gręcorum diſciplinâ inſtruenda,

committendumque prȩlio, ac fortunæ diſcrimen, quæ, velut omnium nationum odio dominaturum terris populum ſubjuvabat. Et ita quidem, ut diſceptare acumen mortalis ingenii queat, pluſne ad parandum terræ orbis imperium fortuna, an virtus profecerit. Cui etſi adverſa ut plurimum fortuna ſit, cujus vȩcordiam, & proterviam ferre non poteſt omnia ex ſeipſâ æſtumans durȩ, & infractæ virtutis opinio, tamen miraculo quodam rerum inter ſe diſſidentium evenit, ut in iſtâ Romuli togatâ ſagataque gente coïrent. Quod cùm ſciret ὁ μακαρίτης, & quantum armorum vis, ac diſciplina ad potentiam feciſſet, veterum ſæpè militiam cum noſtrate conferebat, ut cognoſceret, quantis intervallis vetus Grȩcia, & Roma terrarum domina noſtrâ gente, noſtris ab ingeniis vincerentur. Adeo quidem, ut in hoc terræ punctum, quod apertum mare, aut æſtuaria, flumina, aut paludes perluunt, prȩſtantiſſimas quaſque bellandi artes evocaſſe noſtra Libertas videatur, quæ primis initiis compedita, ferȩque adinſtar, cavеȩ incluſa, durȩ neceſſitatis imperio, & ne periret, ſua ingenia prudentia, & exercitio militari exacuit. Ut, cùm arctis anguſtiſq; finibus clauſa fuiſſet, quos regiȩ vires obruendȩ genti inſederant, latiſſima

ditione

ditione ereptam Philippis Remp. donaret, experireturque, quantis locorum ſpatiis ab hac centri exiguitate Oriens, Occidenſque diſtarent. Ut certè alium præ Romano terrarum orbem luſtraſſe, aut aperuiſſe credi poſſit, non continentem ſubigendo, ſed artis nauticæ, & cęleſtium peritia, qua aliud à patrio cælum, alia ſidera obſervavit. Scilicet ut illos quoque populos, quos remotiſſimis angulis, ac ignoto naturæ ſecreto providentia abſconderat, ſuis quoque commerciis, ac armis cicuraret, ac inſtrueret, quæ in hac exigua terræ portione, velut palæſtra ac gymnaſio, magnâ Ducum dexteritate, æmulâque veterum belli Imperatorum claritudine tractabantur. Igitur, & ὁ μακαρίτης, ne in caſtris quidem, dum aut Ducis, aut Tribuni officium facit, extrà profeſſionem veteris fælicisque eloquentiæ erat, quòd illa pacis ac belli artes edoceret, ciendiſque fortibus excelſiſque ingeniis efficax, etiam inter claſſica & canentes tubas, ardentem in honeſta ſanguinem accenderet. Quem non tam caſtrorum ſe moventium ſtrepitus, non inconditus clamor perituram ad gloriam, & ſimul pericula multitudinem vocans, non buccinæ raucedo, non acutus tubę clangor, tot millium quietem, & pinguiſſimos ſomnos fracturus, ad vulnera

& mortem impellit, quam ſollicita, & ſe efferens obverſantis glorię cupido, quæ omnia mortalium opera, ac ętates ignobilitate vitæ, aut famâ diſtinguit. Quam ut ſpolia hoſtibus detracta, & fęlices manubiæ victoribus præſtant, ita illa & victos nonnunquam excipit, atque comitatur, quorum laudata vulnera, & exceſſus totâ ęternitate ęſtumantur. Quę non aureo torque, non purâ haſtâ, non phaleris, non armillis, non auro, & ære penſari queat, omne perenne, & mori neſcium in illorum manes tranſcribens, qui fortiter occubuêre. Quos non laurus, aut apium, non hedera, aut myrtus, non lemniſcus, aut gramen coronet, ſed in puro, & circumfulgente ſtellis domicilio immortalitas, quæ virorum quoque fortium Ducumque laudes omnium temporum ingeniis, & conſcientiis poſterorum commendat. Atque hæc pabula excellentium animorum, hæc alimenta veræ, & conſtantis glorię ſunt, quæ nobilem à plebejo, generoſum à ſordido, fortem ab ignavo, Pręfectum à cive, Ducem à milite diſtinguit: Non ut aulęa pictis tabulis, ſigniſque inſtruat, non ut auro argentoque luxuriem expleat, non ut molli plumâ, ac verſicoloribus pretioſiſque ſtragulis marcidum corpus recondat, ſed ut vigilias ſtationeſque, con-

tegen-

tegentibus ignaviam metumque noctibus, circumeat, ut hyberna frigora, & iniqua mollibus Æquinoctia ferat, ut ardores Cancri, & Caniculę domet, ut pulverem, ſudorem, inediam, ſitim, denique omne incommodum provocet, quod aſtri per bis ſex ſigna meantis revolutio, & annorum vices reducunt. *Ita maris æſtus ac nauſeam, ventrorum tempeſtates & procellas, fluminum aſperitatem & vortices ferendos, quaſi forti, & ad quævis pericula malaque infracto, non cum Mauro tantum, ac Ibero, cum Pœno, aut Cantabro, ſed cum natura quoque rerum bella gerenda ſint. Superandum ſcilicet, evincendumque quicquid adverſum virtuti, aut molientibus egregia foret, neque adverſanti etiam cælo cedendum, quod etſi iratum ac triſte, ſævum aut malignitate ſiderum nocens timidis fractiſq; videatur, tamen illorum animos, illorum robur, atq; patientiam probet, qui excelſas ſpes ſupra obſtantia erexiſſent. Ac ipſi quidem Fato, cum improſpera molitur, cum virtuti obſtat, cum æquiſſimis conſiliis rebuſque ſe interponit, aut videtur, (etſi infælicibus vaniſque ſucceſſibus) aliquando obnitendum, non culpabili in providentiam ac divinitatem contumaciâ, ſed ne animos deſperatio occupet, qui in imperatore ac Duce rerum, in ſapiente ac milite, fortes & obfirmati ex incumbenti onere non franguntur. Vt ſcilicet in omni operum fine, qui intentione primus, temporis interjecti ordine poſtremus eſt, ut pri-*

vatæ laudis & gloriæ, ita publicæ Libertatis incrementa habeantur. In quam etſi occulte multarum gentium, regumque odia conſpirent, apertè Philippi, & totus Occidens inſurgat, non Hiſpaniâ tantum, ſed & ignoto orbe bellante, tamen eveniſſe, ut ſuſtinendo gravia reſp. progrederetur, ſentiretque illius familiæ vires atque fælicitatem, quæ ultra Vahalim & Moſam, Rhenum & Amaſum, Vidrum atque Scaldim flumina in patrium mare ſe exonerantia, trans Pyrenæos & Herculis columnas, poſt Atlantem ſideribus inſertum, famam clariſſimi nominis protruſiſſet. Non quod in Occidente & ultimo orbis, anni ultrà Soliſque vias, ſedem Libertati ſtruat, ſed quod regiam poteſtatem utriuſque mundi terminos circulantem arctiſſimo pomœrio, & exiguâ Belgicæ parte incluſerit. Quæ ipſa licet per latiſſima terrarum ſpatia lacertos diffundat, licet Regum Principumque, tum auguſti fæderis arbitria atque potentiam libret, equidem verum eſſe, in hac gente propagandâ, quæ regifugio deſtinetur, naturam rerum laborare, ac ut primâ juventâ Principes Duceſque rerum edat, quos alibi matura aliorum ætas, & canitiem ſæpè alens factorum gloria non obſcuret. Ego defunctum laudando, quem geſtarum rerum fama neque morti, neque ſilentio mancipare poteſt, Magnorum Principum Ducumque gloriæ nihil detraham, cæterum teſtabor fati ingenia efferentis indulgentiam raræ virtutis exempla in τȣ̃ μακαρίτȣ perſonâ

Anno cIɔ. Iɔ. cxxxii.

ſonâ edidiſſe. Cum poſt patruum patremque mortalia paſſos, &, quoniam hominum cœtibus intereſſe fato vetabantur, in cælum & æternitatem invectos, ſucceſſor imperii datus, quod ut cuilibet mortali grave & moleſtum, ita quam maximè illi ętati eſſe ſolet, quę prima juventutis ſpatia, & creſcentem adoleſcentiam vix explevit. Quæ, adinſtar corporum, mollis & ſucculenta, dum blandiſſimum vitæ ver inter oblectamenta agit, raro ad illa animos componit, quę, ferendo gravia, lætiſſima temporum ſollicitudini, & curis immergunt. Ac quamvis ipſę ultro mortalium ingeniis innaſcantur, quę ſubinde moroſa & tetrica viciſſitudo rerum facit, tamen imprimis iſta excruciant, quæ imperio aut deſtinantur, aut inſunt, peculiari conditione ac pacto, quo ad tutelam omnium ſe obligant. Inter quę orbitatis paternę vulnera, inter moleſtiam cervici impendentem, optuma tamen, & fati benignitatem prodentia, Pręfecturæ initia accepit, vulgari providentię inſtituto, quæ magnas dignitates, ſpecioſis principiis involutas, recturis aliena obtrudit. Cum necdum elato patrio funere, & cadavere humato, Trajectum ad Moſæ, quod Magnus Princeps obſederat, novos militię honores conſecutus partem caſtrorum tutandam

accepit, quæ crebris hoſtilium copiarum & auxiliorum Germaniæ oppugnationibus concuſſa, egregiâ noſtrorum virtute defendebantur. Itaque disjectas repulſaſque Cæſaris legiones, & Papenhæmum virum fortem, auxilia Hiſpanis ductitantem, etſi fiduciæ ſolvendæ obſidionis certum, victum recedentemque in Germaniam ſuam, unde venerat, conſpexit, Moſæque ripas Tribunitio, & imperatorii exercitus ſanguine cruentatas. Trajectum ipſum interſecante Moſę fluminis alveo, & multo opere emunitum, fęderatis armis, ductu Magni Principis, cum ſuâ ſuorumque virtute expugnatum triumphatumque, quę prima caſtrenſis militiæ rudimenta, & illuſtris Præfecturæ auſpicia, inſigni naſcentis gloriæ præſagio, tum exerebat. Cum eligendorum, confirmandorumque oppidanorum (Leovardiam provincię metropolin, & Franekeram Academiâ nobilem excipio) Magiſtratuum jus, quod, ſtante Philipporum dominatione, Pręfectus Senatuſque regius, poſt, introductâ libertate, eorundem ſucceſſores uſurpaverant, recenti Pręfecturæ conceſſum, ſive in gratiam novę dominationis, quam publicus ut plurimum favor comitatur, ſive ęmulationum odio ac faſtidio, quæ, omnibus rebus malitiâ temporum fatales, auguſtum florentemque

Anno cIↄ. Iↄ. cxxxiii.

que pacis artibus Senatum exercere videbantur. Quod pacis officium dum obit, dum munera & honores ſalvo, ſicuti par erat, populi jure ac ſuffragio diſpenſat, dum artes exercet æternitatis rerum cuſtodes & ſequeſtras, raro & inaudito majoribus, etiam poſt ejectos reges, exemplo, non minore belli curâ attinebatur, ac ut militarium expeditionum ſocius, ac comes laudata jam ante imperii initia majoribus virtutis documentis innecteret. Quam ut affectare ſe teſtaretur clauſâ Fœderatis caſtris Rhenoberchâ, etſi nullâ imperandi ſorte, interfuit, ne quiete & otio deſtinatam armis ætatem tranſigeret, &, ut facta ac conſilia Magni Principis notando juvenilem animum, veræ laudis amantem, militaribus porro artibus inſtrueret. Quas dum obſervat, dum tentorium tabernaculumque propius ad urbem, etiam majore tormenti ictu perforatum, locat, tamen ex periculo audacia atque virtus creſcebant, quæ premi neſcia, ſicut omne magnificum atque eximium ſolet, ipſo diſcrimine accendebatur. Quod domi & per provinciam mox exortum, velut concitante tempeſtatem malo ſidere, alacritatem & prudentiam juvenili ingenio addidit, cum virtute bellicâ rite in Rheni ripâ perfunctus illa vitia introſpiceret, quę in libertate, ex licentiæ

ANNO CIↃ. IↃ. CXXXVII.

ANNO CIↃ. IↃ. CXXXIV.

morbo, orta, & jam ſananda, ne intenderentur, unius imperio & autoritati reſervabantur. Cum ſolutâ quaſi obſequii fide, plebe, quod in regifugio evenerat, tumultuante, ſignaque velut conciendis armis, efferente, actum de rep. videretur, de quâ metui fermè poterat, ut eodem modo, quo cęperat, poſt breviſſimos rerum circuitus, interiret. Cum miſeratione noſtri ſocia arma, atque auxilia in fines miſſa, ſedandis corrigendiſque mentibus, quæ odio dominantium emotæ lenitate melius, quam ſeveritate emendabantur. Itaque remiſſis, quę in finibus hęrebant, auxiliis, cum extrema remedia, efferandis animis, & nimis aſpera crederentur, ad domeſtica Præfecti patrumque conſilia, ac judicia provocatum tam, fęlici & portentoſo ſucceſſu, ut mala in reip. viſceribus nata, autoritate legum, & ſuperioris imperio ſanarentur. Qui redditâ quieti Rep. poſt pacis artes, egregio fine operum, per provinciam exercitas, nihil ſatius, nihil officio ſuo ac fortunâ dignius habuit, quam ut Magno cum Principe ad bellum iret, quod hybernâ tempeſtate intermiſſum, adultâ veris commoditate parabatur. Itaque tunc, velut ęſtivo, quod tum intendebatur, ſidere incitante, clariſſimę expeditioni ſe junxit, quę, finem quaſi bello &

Philip-

Philipporum rebus factura, Ludovici Justi potentiſſimi Galliarum regis, & ſimul fæderata arma per Brabantiam circumferebat. In quâ primos ordines ducens Thenam oppidum expugnavit, egregio ad explenda rerum conſilia profectu, niſi prima, & ſui vix capax armorum proſperitas, & forunæ adblandientis incerta, ordinem militiæ & caſtrenſem diſciplinam conturbaſſent. Igitur milite prędâ ac ſpoliis ditato, quæ ſacris juxta ac profanis detrahebantur, tum infælici oppido (quæ calamitas commeatum maxumè caſtrorum accîdit) in cineribus relicto, ὁ μακαρίτης Diliam amnem modico ſupra Lovanium ad Floridam vallem ſpatio virtute trium Legionum ſuperavit, obnitentibus ex adversâ ripâ hoſtibus, quo illum tranſitu fluminis, magna momenta allaturo, prohiberent. Sed interritus animus principalis imperii, ex ſeipſo virtutis & gloriæ memor, quam ex periculo ęſtumabat, non intermedio flumine, non multitudine hoſtium movebatur, quin copias tranſduceret, locatiſque Magno à Principe ad Lovanium caſtris ſe jungeret. Ubi, dum, pręter ſpem voto contrariam, fatales gerendis rebus moræ interveniunt, dum annonę penuria, mox ad famem itura paulo ante victorem formidatumque hoſtibus exercitum adfligit, pro-

ſpera & juxta adverſa clariſſimę expeditionis expertus eſt, notabili exemplo, ut res omnes mortalium, ita caſtrorum quoq; fortunam viciſſitudinibus fati ſubjacere. Igitur æquo vultu, quo ad providentiam, tanquam omnium rerum teſtem, adſurgebat, animo infractus invictuſque motis per ęſtatem caſtris Brabantia ſic exceſſit, ut non moleſtias itinerum, non diſcrimina etiam inopinato occurrentia, formidaret, paratus ſubire quicquid maximus Imperator, omnia mortalium diſponens, & periclitantis reip. commoda juſſiſſent. Illum certè non Schenckiana munitio, etſi cervicibus provinciarum incumbens, non Rhenus & Vahalis captivi amnes deterruêre, quin iiſdem mox caſtris intereſſet, quæ recuperando munimento, & liberandis fluminum ripis fęderata ſocietas poſuerat. Quare per illa diſcrimina, quæ dolo ac vi hoſtium parabantur, eâ curâ in tuendis luſtrandiſque limitaneis locis ac Præfecturæ ſuæ munitionibus egit, ut novo adultoque vere omni incommodo proſpiceret, provinciaſque irruptionibus hoſtium expoſitas, ſecuritati redderet. Cùm exercitus, qui ſexaginta ſeptem peditum, equitum triginta octo cohortes numerabat, (& quem prope Embricam cum imperio moderabatur,) modo Rhenum verſus, modo Vahalim,

Anno cIↃ. IↃ. cxxxvi.

modo

modo Moſam, aut Scaldim portentoſâ celeritate, more defluentium aquarum, raptus, ne agere quidem hoſtem ſivit, quæ moliebatur, ita cuſtoditis fluminum ripis, ut eorum trajectu hoſtiles copiæ, tanquam retardante quadam religione, prohiberentur. Dum ipſe diſcurrit, dum ſigno dato caſtra movet, aut revocat, dum aggeres coërcendis aquis, aut caſtella ſterni reprimendis hoſtibus facit, otia ac ſegnitiem militi, occaſionem nocendi ſagaciſſimo hoſti adimebat, gnarus flumina illa, ut olim Romani imperii ętate, finium munimenta, ita nunc fœderatæ libertatis eſſe. Ita dum Magnus Princeps aut claſſem ducit, aut gentium ſepulchro, & Belgicis oſſibus albenti Flandriæ caſtra molitur, quicquid paludum aut reſtagnantium agrorum Rhenus, & Moſa humectant, ὁ μακαρίτης tutabatur, ne transrhenanis nationibus potens, & vagus hoſtis incumberet, & ut populum fidei ſuę commiſſum à barbaricâ vaſtatione liberaret. Ne peregrina, & ferox ungula, ſterili rupe, aut ſcabro monte paſta, ſpem anni protereret, fæcundiſſimuſque terrarum tractus ingenio ſui, & afflatu maris laudatus Velavianis furoribus premeretur. Præſertim infælici Germaniâ bello ardente, quæ omne efferum, velut flagrante adhuc diro crinitoque

ſidere, paſſa, dubiâ gentium ſocietate, & infidis armis timebatur. Tanti intererat vigilem, & ad omnia attentum provinciæ Rectorem, aut exercitus Ducem habere, qui paternam indolem imitatus, ne noctium quidem ſpatia, etſi minuendis ſollicitudinibus currentia, extrà meditationem ducebat. Scilicet indefeſſa illa mens onerum curarumque ſuarum conſcia, ſollicitudinumque ſe aperientium aſſidua nutrix, nulla temporum momenta prçterire aut elabi ſinebat, quin, quç actura eſſet, prçconciperet, ne fluxæ cçcorum caſuum temeritati crederetur, quod in bello providendum eſſet, & quod omiſſum ad aliena ſæpè genua fçlicium ſuperbiam projeciſſet. Igitur in campo ac planitie, in obſidionibus ac caſtris animo præſens, imminentium providus, periculorum contemptor, tantâ feſtinatione agendis rebus ſe ingerebat, ut more fulminis præſto eſſet, antequam metueretur, factaque ante hoſtibus quam conſilia innoteſcerent. Ego virtutis ad Bredam

Anno cIↃ.IↃ.cxxxvii. editç (quo in loco de dominatione, ac libertate promovendâ, tanquam in cruento pulvere certabatur) documenta, fæderati exercitus, & ipſorum etiam hoſtium, qui aut integri ſtabant, aut per vulnera cadebant, voce celebrata non deprædicabo prolixè, cùm dubitari poſſit,

ſit, majorem ne gloriæ appetitum, an contemptum mortis iſtis in caſtris induerit. Cum ſtatio-Teteringæ poſitâ feſtinatis acceſſibus, ductibuſque, quibus ad urbem properabatur, non moleſtiam, non pericula reſpiceret, interque operas & officia militum conſtitutus, non aquarum impetum, non uliginem paludum, non cæli incommoda, non terrarum edita, non objectas moles formidaret. Itaque prȩter dierum labores, qui aſſidui, &, promovendis rebus, celeritate efficaces, vigilatȩ quoque noctes agebantur, quas inſomnes, & blandiſſimo mortalium lenimento deſtitutas juvenilis animi indefeſſa inquietudo faciebat. Quæ cùm in exemplum iret, quo caſtrorum virtus impellitur, atque excitatur, militum quoque ſtudia allevabat, ut nullo tædio ageretur, quod ei placuiſſet. Sive foſſa ducenda, ſive obliquandi ductus, ſive inſtituenda oppugnatio, ſive conſerendȩ manus, iſta promptitudine, ac facilitate omnia expediebantur, ut quædam virtutis æmulatio videretur, quæ in defuncto elucens ſepultam etiam in militaribus pectoribus glorię cupidinem accendebat. Itaque captâ potentiſſimâ validiſſimâque urbe, & fȩderi redditâ, tanta per provinciam triumphalis diei feſtivitas fuit, ut populus, ſalutatis religioſè do-

meſticis ſacris in publicum effuſus, ſonantium cuneorum applauſum ſalvo & ſoſpiti, fortunato, & reduci defuncto exhibuerit. Cùm indomitum invictumque periculis, ac malis animum laudavit, cum corpus illud glandibus gladiiſque objectum, cum vultus illos hoſtibus nuper obverſos ſuſpexit, & veneratus eſt, & quod divinâ ope ſervatus ὁ μακαρίτης domeſticis triumphis, & lætiſſimæ paci oſtenderetur. Et hoc erat in Jovis Capitolini gremium victrices Lauros deponere, non ut perituræ, & mortali ſtatuæ, non ut fictis numinum ſimulachris dona, aut munera ſecundis ex rebus daret, ſed ut teſtaretur, atque agnoſceret, omne fælix, ac proſperum Reip. populoque divinitus obveniſſe. Scilicet ipſos Ducum Principumque animos deficere, ipſum ſanguinem ſpiritumque frigeſcere, ipſam virtutem hebetari, ac languere, niſi à cælo arcana vis animatura eoſdem Duces deſcendat, quorum conſiliis generis humani fata magnus æternuſque rerum arbiter commiſiſſet. Quos etſi temeritatis, aut fiducię noſtra infirmitas nonunquam accuſet, ita in providentiam inſurgit, quę inermes etiam in caſtris, ac prælio circumſiſtit. Audire me memini, cum ὁ μακαρίτης magno à Principe Noviomagi tuendis curandiſque ad Rhenum oppidis relictus, ad Geldram

(quam

(quam quinquaginta ſignis peditum, undecim Anno cIↃ.IↃ. cxxxiix.
cohortibus equitum circumvenerat) caſtra poſuiſſet, magni Principis adventum, & auxilia opperiens aperto in campo, nullo opere, aut loricâ circumductis caſtris copias explicuiſſe, proximoque etiam hoſtilis potentię metu, multum virtuti, plurimum providentiæ dediſſe. Quæ cum vitę mortiſque terminum prędinire mortalium ætatibus credatur, quas optumus naturę vigor aut defectio in circumferentibus exitia ſua corpuſculis diſtinguit, fit, ut extrema minus timeant, qui cęcitate ſortium rejectâ animos ad cæleſtia obfirmavêre. Quos æque in balneo, ac in acie fatalis horæ certos moriendi fiducia facit, quam deponere non poteſt, quiſquis de conditione vitę cognovit, & quam reddere cogitur, quiſquis accepit. Non ad criticorum dierum, aut fallacis ſuaque etiam damna patientis Lunę interventum, non ad aſtrorum poſitus de cęlo per ludibrium & cęcam artem obſervatos, ſed per exploratam mortalis fabricæ infirmitatem, quæ in Duces, regeſque, etſi in excelſo collocatos, hoc commune hominum generi edictum diſtrinxit. Cujus cum natura rerum, quę omnia nata ac naſcitura deſtruet, ſeveriſſima exactrix ſit, ita inter omnia illa humanę ſortis exempla nullum glorioſius

digniuſque eſt, quam in acie, in prelio cadere. Ita dum alios (quod periculi defuncto reduci è caſtris obvenerat) concitata turbulentis aſtrorum aſpectibus, & tempeſtatibus maria naufragio obruunt, ſepulchroque prohibitos rerum univerſo & cæli fornice recondunt, alios aſperſa ſuaviſſimis ciborum venena, tanquam delicatæ & ſeneſcenti luxuriç medentia, interimunt, denique aliorum purpuram parricidium polluit & incti tabo, aut veneficio mucrones in adorata viſcera adacti, equidem inter tubas & claſſica, gentes nationeſque fatalibus odiis diſcordiiſque committentia, honoratâ morte pereunt, quotquot Deo & exercitu ſpectante occumbunt, mortuique gloriam, tanquam coronam ſupremæ virtutis & per vulnera deficientis accipiunt: Et hoc eſt ſtare, hoc erecto in altum corpore, quâ figurâ hominem natura rerum & opifex Deus præ cæteris animantibus fingi formarique voluit, teſte cælo emori, non ut molles & delicati ſolent, quos altiſſimo lecto, tanquam conditorio, & exeuntis animæ impedimento, immerſos fatalis inertiç putredo conſumit. Quos inter odores & unguenta robur effæti marcidique corporis frangentia, tabes quçdam, & ſine ullo exercitio ſtupor conficit, ne cogitationes quidem oculoſque attollens, quos peritu-

peritura deſidię vitio moles, velut gravatos in morte, offuſcat. Quos pecorum ritu, quæ ventri & ſaginę obediunt, procumbens pondus opprimit, non habituros, niſi ab anteactæ vitę turpitudine, ullius famæ beneficium. Quę cum bonos Principes rectoreſque gentium comitetur, quos conſecratio, ſupra barrorum moles, ſupra Mauſolæa ac Pyramides, ſupra fluxa nubium, & Lunæ orbem, ſi viſui credimus, impuritate terrenę fęcis attactum, divinos immortaleſque facit, fit ut male mori non poſſint, qui bene vixerunt, ita diſpenſante cæleſtis providentię ęquitate, ut laudatiſſimis vitæ principiis ac inſtitutis egregii fines reſpondeant. Igitur & hoc in parte fęlicitatis τοῦ μακαρίτου collocandum eſt, quod poſt Liviam flumen ſingulari virtute tentatum, dum retractis ad Hulſtam caſtris propè Bergerkrekam, fatalem vitæ locum, res gerit, pulcherrimo & paterni ęmulo exemplo, à gregario equite ſclopeto ictus, factorum finem clauſerit, inſtarque victimæ, cruore ſuo infælicia caſtra imbuentis, ſolenni quaſi devotione, ceciderit. Licet ferale carmen non cecinerit, licet manes non ſollicitaverit, tamen pro devoto habendus eſt, quiſquis morti ſe parat, & cui in ſolatium cedit, non ſibi, ſed populo, ſed periclitanti patriæ

exeuntem per vulnera ſpiritum labente animâ effudiſſe. Licet errore noctis, aut ſuo in inſidias devenerit, licet, hoſtium copiis, & ingruente equitatu circumventus, auxilia ſuorum deſideraverit, fortiter tamen, cum fidiſſimo & jam caſuro comitatu PRO PATRIA, quam TRIPLICEM profitebatur, pro ſalute ſuâ ac gloriâ pugnavit, donec ex vulnere, quod in interiora penetraverat, languidus equo etiam ad imperia rectoris, quod ominoſum, contumaci deturbaretur. Quod ut præſagium inſtantis mali fuit, ita in terram devolutum profluente largiter ſanguine, vitæ viriumque vehiculo, major imbecillitas corripuit, quæ ex ſaucio vulneratoque corpore, quod tranſeuntes hoſtilium equitum turmæ obtriverant, aucta, proſtratum, ac ægre ſpirantem, vixque à ſuis ex obſcuro noctis, & fęditate ſanguinis agnitum, militari Ducumque more, reduci in caſtra, ac munitionem imperabat. In quam dum perfertur, dum facies (quæ horrore ſui hoſtiles toties cuneos terruerat, quæ venuſtate, an dicam majeſtate ſuâ exercitum Duceſque ſibi conciliaverat) atro pulvere, ac cruore conſperſa miniſtrorum medicantiumque ope detergitur, dum vulnus obligatur, ipſe infælicis plagę contemptor ad gloriam acceptum interpretabatur, quam,

vel mor-

vel morte redimendam, æternam immortalemque ſibi fore, etiam non conſultis aſtris, interpretabatur. *Quæ etſi parcius lumen mundo præbuiſſent, etſi tabem defectionemque nocturno ſideri ad inducendam terris caſtriſque opacitatem obſcuratio attuliſſet, non impeditura tamen ſit velocis famæ progreſſum, in diverſa terrarum, etiam ceſſantibus vitæ officiis, properatura eſſet. Illam ſcilicet non Scaldis vorticoſi amnis reſtagnantes ripas, non pinguia Flandrorum culta, non Eburones, aut Menapios, non Arduennæ, aut Carbonarium ſaltum, non ipſum mare, etſi noviſſimum crederetur, provecto nominis veſtigio, terminaturum, cæterum ituram iſthuc locorum, quæ libertatem harum gentium noviſſent. Huic fini ſedatas compoſitaſque primis juventæ, & rerum annis tempeſtates, percuratiſque licentiæ, quæ adoleverant, morbis, optima mortalium bona pacem, & ſecuritatem commiſſis ſibi terris dediſſe. Sic Præfecturæ agris ac finibus, ſic munitionibus ac caſtellis, ſic præſidiis firmamentiſque locorum fælicem curam impendiſſe, arcendis provinciæ termino, tanquam venerabili luco, hoſtibus, quorum vis palam infirma, aut ignobilis dolo ſæpè ac aſtu tegeretur. Neque aperta ſe pericula atque diſcrimina poſcentibus rebus declinaſſe, & illâ quidem ætate, quæ, virtutem fortunamque experiundo, ad ardua tenderet, crederetque, præeſſe magnis non poſſe, niſi qui interfuiſſet. Hoc modo Trajectina ad Moſam, Schenckiana ad Rhenum & Vahalim caſtra toleraſſe. Sic Bra-*

bantiam Magno cum Principe Bruxellas uſque, ſic eandem ſe cum equitatu ad Fanum Trudonis percurriſſe. Sic Thenæ muros, ſic Diliæ amnis intuta ſuperaſſe, omniumque fluminum, quotquot fœderati agri ripas ſtringunt, curam habuiſſe, ut memoria ſuæ virtutis, etiam ab exceſſu, ſupereſſet, & ne vita, donec Deo, & naturæ rerum videretur, præſentis ſæculi præconio, ac laude careret. Hac intentione Bredam, illuſtris familiæ peculium, quod à paucis annis captum Regi animum, & ſuperbiam addidiſſet, ſe copiarum ductore circumventam, ſic Geldram oppidum modico cum exercitu bis prætentatum, iſtâ lege velut annis ſe renovantibus, ut materiem creſcenti gloriæ ſuppeditarent. Hoc ſe voto Liviam amnem Rejæ confluente turgidum, hoc fine locum, quem occupaſſet, etiam vulneratum ſe tenere, ut divinæ providentiæ cuncta mortalium diſponenti, ut ipſi Deo, deſuper, quæ agerentur, ſpectanti ſe ſiſteret, paratum experiri, quicquid humana lex, & celſiſſima divinitas juſſiſſent.
Quod periculi etſi diſſimularent, qui verba eminenti fortunæ, non ęgro dant, qui arte, ut longa, ita fallacis judicii caſtra rumorum fæcunda, inter lætorum triſtiumque præſagia, ſpes atque metus gentium ſuſpendunt, tamen ὁ μακαρίτης internam vim mali pręſentiſcebat, & quam parvis intervallis ſuccreſcens languor ab honeſtâ morte, & fine rerum abeſſet. Quem cum omnia naturæ rerum ambitu clauſa appetant,

tant, cum aſtrorum velocitas ad punctum tendat, gravium labor ad centri exiguitatem properet, ita exiſtimabat ὁ μακαρίτης, incerta vitę ſuſpicienti cogitandum de illo momento eſſe, quod pendentia ab infidâ arte judicia confunderet. Quare rejectis ſpretiſque medicantium ſolatiis, ſuâ ex conſcientiâ, & præſagio longioris vitæ exſpes, officia Prefecti lecto affixus jacenſque adhuc obibat, aſpectantibus Ducem ſuum legionum cohortiumque tribunis, quem in medio ętatis flore, ac ipſo curſu rerum periculoſo ex vulnere animam vix trahere militari ferociâ, aut miſeratione indignabantur. Unde intra munitionem non tantum męstę, & compoſitæ ad męrorem facies, ſed per omnes caſtrorum vias flexuſque dubii, & in metum proni ſermones audiebantur, quaſi ipſo infortunatæ expeditionis initio Hulſtanæ obſidioni majore victimâ litaretur. *Sic æstatem ſcilicet legis ſuæ, & anni temporum oblitam, modo brumali frigore horrentem, modo imbribus, velut regnante Plejadum astro, fædam, ſuas vices ordiri, ut tam immane infælicitatis publicæ exemplum edat, ſperatiſque proſperis tantam ferocientis fati calamitatem ſubstituat? Hoc prodigium imminentis miſeriæ fuiſſe, ut ad imitationem naturæ exorbitantis providentia quoque ſe componeret, promiſcuiſqce funeribus necdum exſatiata inclytum, augustumque adjiceret? Ideone noctem ſiderum matrem*

longiſsimis dierum, Sole per Cancrum gradiente, inſolitâ opacitate obductam, ipſamque Lunam diſpendia luminum feciſſe, ut obſcurato vultu noceret, teſtareturque ſui laboris exemplo magnum quoque & militare aſtrum delinquere? Inter quę ſermonum vocumque murmura, quę per caſtra, & intra tentoria militum audita, Magnus quoque Princeps animi æger viſebatur non ſine tacitâ criminatione, & ſuſpirio, conſiliorum bellique ſocium, inter magnas ſpes & egregia rerum documenta ſurgentem, primo caſtrorum ictu, & ſiniſtro adverſantis fortunæ auſpicio concidere. Ita inconditis alias caſtrorum clamoribus ſuſpecta ſilentia miſcebantur, donec exceſsiſſe tantę famę Præfectum, ac Principem per ſuſpenſos ad futura exercitus divulgatum. Igitur tum, velut deſperatione obortâ, luctus, & męror caſtra atque tentoria complevêre, quę non tubarum, aut lituorum, non cornuum, aut buccinarum non claſsici cantu perſonantia, muta velut ſignorum oſtentatione habebantur. Neque per provincias ſanctiſsimo fœdere, & terrarum orbis, quâ omne cœlum videt, commercio fælices, minor, quam in caſtris, conſternatio cernebatur, ſociarum gentium optimum fortiſſimumque Rectorem, tanquam ſuum lugentes, & quod inimica virtutibus fata fœcundum laudis ingenium

nium majoribus rerum ſucceſsibus invidiſſent. Quod ipſum ſociis quoque Regibus populiſque grave, & acerbum erat, qui fortunam ſuarum rerum ex noſtra æſtumantes, tantæ familię, ac cognationis Principem, &, quod magis, Hiſpani odio innutritum cecidiſſe condolebant. Licet antiqui barbarique luctus argumenta non ediderint, licet juſtitia non indixerint, licet regni officia non intermiſerint, fuit tamen, quod ſub auro, & purpurâ ſocię majeſtatis fœlicitas, ſuis in atriis tranſalpina libertas deſideraret, quę adverſa, mortalium rerum conditione, ex ſecundis naſcentia, fœderatę reip. nuntiato Illustriss. Fortiss. Herois exceſſu, obveniſſe interpretabantur. Igitur poſtquam vitâ conceſſerat, frater Guilielmus Fredericus, ut fraterni diſcriminis, ita glorię conſors de tranſportando in Frisios deſideratiſsimi fratris cadavere cogitavit, quo, ardente Sirio, & illâ funeſtę æſtatis intemperie frigore ac ęſtu, imbribus, ac ſiccitate mutabili, pretioſis artificum odoribus duraret, eviſceratumque, ac, Principum more, aromate differtum majorum Mauſolæo conderetur. Quare ſuſceptâ Scaldis placidiſsimi tum fluminis, ac æſtivi maris, etſi infælici, navigatione, feralem urnam ferens in Friſiam appulit, tantâ populi procerumque con-

Anno CIↃ. IↃ. CXL.

N

turbatione, ut, recente adhuc calamitatis publicæ ſenſu, nullis ſolatiis, ac remediis triſtis ſpectaculi miſeratio allevaretur. Quo ſuſpirantium, ingemiſcentium, flentium, ac ejulantium concurſu, non alia civitatum municipiorumque per provinciam facies erat, quam ſi Patrię Patrem (quod raræ Principum Pręfectorumque fælicitati datum) terris ereptum fluentibus in publico lachrimis comploraret, haud vano inritoque præſagio iſtiuſmodi Ducum Pręfectorumque exceſsibus, velut crinito ſidere fulgurante, fata quoque ſua reip. & infælicibus terris portendi. Licet cœlum igne non ardeat, licet lapide, aut ſanguine non pluat, licet terra non tremat, licet abortiens natura monſtra, & deformes partus non edat, mutationi tamen rerum locum, ut plurimum, fecit novæ poteſtatis lubrica, & nutans ſucceſsio, quæ variis ſępè conſultantium ingeniis obnoxia, velut aſtris non conſpirantibus, mobilis, quale humanum eſt, judicii diverſitate impeditur. Quæ cùm ab occulto naturę diſsidio, à diſpari corporum temperie eveniat, fit ut animorum, qui ſacri cœleſteſque ſunt, conſenſum, ſicuti in majore mundo, mortalium immortaliumque in nobis rerum certamina morentur. Igitur inter illas calentis comitii velitationes, inter ſuffragia diſſenſio-

diſſenſionibus potentum extracta, inter dilationes, & moras magnis rebus adhęrentes nonnunquam ritè præconcepta evaneſcunt, & tunc quidem maxumè, cum de Recturâ imperioque gentium diſceptatur, quod (etiam diſpenſante providentiâ) humano arbitrio difficili ſæpè & moroſo incumbit. Quamvis (in quo gratulari ætati noſtræ moribuſque poſſumus) rarâ temporum fælicitate tum evenerit, ut ſucceſſor fieret, qui proximus videretur, & qui majorum facta atque merita, mortes atque funera honeſtæ cupiditati, & petendo provinciæ imperio obtenderet. Qui infælicis Geldriæ ſicca, ac arenoſa paterno ſanguine maçerata, Flandrię funeſtas paludes, & uliginem fraternâ cę-de adhuc madentem in comitium produceret, & quam parvis locorum ſpatiis ſuo à corpore, ac vitâ vulnerum pericula, tum fraternę mortis infælix, ſed glorioſa communio abfuiſſent. Igitur quantum profundi mæroris triſtiſſima orbitas lugenti populo dederat, tantum apertæ hilaritatis, & gaudii à fraternâ Gulielmi Frederici ſucceſſione repromittebatur, quæ, arrectis ad novarum rerum auſpicia animis, optimam temporum conditionem, velut in oriente aſtro, addicebat. Addito inſuper inſigni voto, ut fratris cælo recepti, & quoniam o-

ptimus fuiſſet, conſecrationem commeriti, virtutes æquando, aut, ſi mortali naturę fas eſſet, ſuperando, diuturno fælicique imperio gauderet, quod fratri breve & funeſtum, intrà primos, ſi periodum ſpectemus, annos deſiiſſet. Cujus atrociſſimi vulneris ſenſus, etſi in fibris receſſibuſque pectorum adhuc conſideret, tamen veri mæroris aſperitas gratulationibus patrum, & applauſu populi mitigabatur, qui in ſancta fervidaque rerum, ut ritè fluerent, deſideria effuſus, æternam, quantum humanâ voce fieri poterat, proſperitatem męrenti provincię, & novo Rectori, inſigni temperatâque luctu modeſtia, comprecabatur. Non quidem, ut lætis rebus aſſolet, cum per auſpicia reciprocantium votorum inter vivos, & ſuperſtites moles imperii faſtidio curarum, aut otii dulcedine tranſfertur, ſed per officia repreſſi luctus, qui etſi acerbitate ſuâ graviſſimus foret, emolliendus tamen mixturâ recentis gaudii videbatur. Ne ſcilicet omnibus in rebus probatam mediocritatem populares animi exuerent, & ne ſolâ adverſitate fatis objectâ, divinæ indulgentiæ nobile & illuſtre beneficium contumax triſtitia pręteriret. Ita QUOD FÆLIX, FAUSTUMQUE REIP. NOSTRÆ, INCLYTÆQUE NASSOVIORUM DOMUI, AC GENTI SIT; flebilem

bilem Pręfecti exceſſum, & incompoſitam mortalis ludibrii ferociam in egregio ſucceſſore penſàvimus, cavimuſque, grandi infęlicis fati ſolatio, ne intra mæſtiſſimos penates, intra lugentis aulę, quæ ſua etiam adverſa rebus ſecundis debet, limen receptam calamitatem noſtra ingratitudo geminaret. Econtrà ſupremum votum voluntatemque morientis, tum contingentis proximos dexterę fidem adimplevimus, fecimuſque, ut in firmâ ſpe noſtri officii ὁ μακαρίτης animam efflaret, omnique rerum curâ, atque onere liberatus in ſecuritate, & fiducia cariſſimi ſucceſſoris conquieſceret. Illum, ſi quis ſenſus redditis repoſitiſque cælo mentibus eſt, fraternæ dignitatis, ac imperii cura, aut ſollicitudo poſt hac non anget, & quid erecta libertas majorum beneficiis, ac virtuti debuerit, poſtquam idem annus, etſi modico temporis dierumque intervallo ſecretus, ut triſtiſſimæ mortis autor, ita lætiſſimę ſucceſſionis fuit. Non illius, quam à longâ ſerie deſcendens, & ſuorum indolis incerta hęreditas defert, ſed quæ virtutis opinioni innixa ſuffragium libertatis merebatur. Ut tanto certius optimos eligi, quam per naturam naſci contingat, quæ ſuo ſæpè vitio abortiens, in virtutis exemplo deficit. Quæ ipſa quoque cum pręſtantiſſimos

eminentiſſimoſque ſorte imperii his in terris donet, ita fato functis cælum largitur, quod, ex clariſſimo ſtellarum fulgore, vivorum tantum oculis expoſitum, emenſos mortalia Principes Rectoreſque gentium accipit. Sive Lacteo, fabulatoque laſcivis Poëtarum ingeniis tramite, quem remeantibus ad æterna, & originem ſuam animis antiquitas aſſignavit, ſive aliâ puriore cæli viâ, ac tractu, quem aſtrico candore micantem conſtituta in excelſo divinitas admittit. Ibi non craſſis olidiſque terrarum vaporibus infecta ſpatia, non venenato, & putri aquarum halitu correpta, non concurrentium ventorum naturæque tempeſtatibus turbata loca nactæ perpetuam ſerenitatem mentes reformidant, adblandiente gratiſſimæ regionis clementiâ, quę injurias annorum temporumque pręterit. Ibi non tonantia cælo Æquinoctia, non Solſtitia frigus, aut ęſtum intendentia, non Zonarum intemperies ſentitur, quæ terrarum deſerta perpetuis nivibus horrentia, aut atro peruſtoque cæli ardoribus pulvere æſtuantia, ab habitabili, & deſtinato incolentibus orbe diſtinguit. In injurias illas mortalia, & peritura verberantes non jam amplius illuſtris cogitatio ſe reflectit, & quam arcto centri, quod puncto proximum eſt, ambitu ſpatiaturum per æterna

terna hominem natura rerum concluſerit. *Fruſtra ſcilicet de terrarum imperiis, de extendendo pomærio laborari, quod totum ab ortu Solis ad occaſum, & maria extremis littoribus, orbem hunc, quem incolimus, præcingentia cum unius ſtellæ magnitudine non comparetur. Tantum abeſt, ut de Hontæ ac Scaldis, de Liviæ ac Rejæ ripis, de Damo ac Hulſtâ certetur: & quis æſtuaria, refluentibuſque aquis natantes in flumine terras conſcendat, aut amittat, vili ſanguinis aut animæ pretio, niſi omne virtutis documentum ad illuſtrandas majorum ceras ac imagines properaret. Quas etſi longâ majorum ſerie pace belloque partas numeraſſet, tamen regiis imperatoriiſque titulis, præter Actiam & Guelforum vetuſtatem, novam ſuæ virtutis claritudinem adjeciſſe. Ne ſcilicet alieno, aut vetuſto, quod vel veritas, vel adulatio ſecutis temporum ætatibus tranſcripſiſſet, ſe efferre æmulanti invidiæ videretur, quæ ultro maligna, vetera laudando, in obſcurandam recentium factorum celebritatem propendeat. Illam totam, quanta inter mortales regnum exercet, ſuo vulnere ac ſanguine, ſuo exceſſu ac morte, triumphatam, & quod ſuâ ſorte ac conditione, ſuâ Recturâ ac imperio condignum reliquiſſet, quod æqua virtutibus ſuis gloriæque poſteritas per atria, & juxta conditoria collocandum haberet. Quamvis nec in ea ipſa, etſi ſpecioſam ſolemnemque pompam ac apparatum, etſi ceras tituloſque ſecum trahentia, reſpiciat, poſtquam illius mundi ſpectaculo occupetur, qui, ſacer & æter-*

nus, extra omne mortalitatis ludibrium ſit. Se hoc ipſo ſaltem fælicem, &, quod profanis, quas deſeruiſſet, terris à magno imperatore Deo evocatus veſtigia quoque perennis gloriæ imitaturis egregia mortalibus reliquerit: Quę ipſa quoque cum ex ſe clara immortaliſque habeatur, ita omnis poſterorum ætas HENRICUM NASSOVIUM in illis Flandrię campis, in illâ cruentatâ ſæpè humano ſanguine terrarum alluvione ſtantem cadentemque PRO PATRIA intuebitur, tamdiu laudatura egregii Rectoris Duciſque famam ac virtutem, quamdiu clariſſimæ Libertatis nomen his in terris ſuſtinebitur. Dixi.

Errata ſic corrigenda.

Pag. 39. lin. 2. leg. ſtatione, pag. 42. lin. 9. leg. infecti, pag. 45. lin. 7. leg. quę in diverſa.

This book is due two weeks from the last date stamped below, and if not returned at or before that time a fine of five cents a day will be incurred.

949.2 W733
Winsemius
Historiarum
949.2 W733
JUN 23 1931